



*Neue*

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE - Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - 1040 BRUXELLIS  
Tel.: 734 55 42.

## CUR LATINE SILEANT UNDAE



Cum Luxemburgi essemus congregati, moderatores stationis radiophonicae convenimus, qui, rationibus nostris auditis, promiserunt mox emissiones Latinas instituere.

Vix inveniri potest dialectus Europaea, etiam minima, cuius voces undis Hertziiis hodie non transmittantur. Unus tantum, sermo Latinus, quamvis magni sit momenti in cultu civili totius Europae, ab antemnis radiophonicis omnino excluditur.

Cur haec prohibitio? Coaevorum nostrorum psychoanalysin, ut ita dicamus, facere conabimur.

Cum hodie nulla inveniatur gens, cuius sermo patrius sit Latinus, nullus homo politicus suffragia satis multa sperare potest linguam latinam promovendo.

Cum, ipsius regiminis causa, sententia hominum politicorum Europae occidentalis sit "Hic et Nunc", nullus eorum de futuro curat.

Si nunc ad philologos Latinos spectamus, vidimus plerosque intra exiguum specialitatem manere, timentes ne quemquam offendant. De phtisi Latinitatis publice dolent et crocodili lacrimas effuse profundunt, sed iis, qui morbum curare volunt, nullum afferunt auxilium, quin etiam eorum consiliis officiunt. Anno 1981°, cum philologi undique terrarum Augustam Treverorum convenissent ad "Omnium gentium ac nationum conventum quintum Latinis litteris linguaeque fovendis", P. Caelestis Eichenseer haec verba palam protulit: "Ad extremum rogatio quaedam urgentissima ad conventum congregatum feratur necesse est, quae spectat ad usum linguae Latinae radiophonice initiis modestissimis instituendum et initiandum. Putamus enim perutiliter fieri posse, ut Saravica statione radiophonica, ..., universales nuntii Latini sive semel in singulis septimanis per ternas fere minutias sive in singulis mensibus semel per quinas fere minutias emitantur. Sed talis res effici non poterit nisi auctoritate multiplici, eaque internationali,



Imago excerpta ex libro, cui titulus "Civitates Orbis Terrarum" (Ed. Braun et Hogenberg 1572 -1618)

## TOLETUM ADHUC STAT

Diebus iam longinquis Praehistoriae a medio terrarum quae a Romanis Hispania vocandae, barbari earum incolae quoddam oppidulum ad magni saxi fastigium struxere. Ad planum potens copiosumque Tagus flumen tellurem aquis suis residuisque uberibus opimam foecundamque agit, attamen montem durissimum in temporis decursu silentio suae fregerunt aquae atque arcto passu angustias per quas transire possit laboraverunt. Solidissima rupes quoque dilaniata superiori inspectione cuidam falciei simulat quamobrem plerumque in colloquio dicitur communi. Ad ripam dexteram fluminis, prout illius fluxus aquarum vel cursus in oceanum pergit, saxum in quo ab hominum memoria domos solidas inquieti barbari fabricati sunt est. Contraria in parte fluminis in consorte saxo foveae pristinarum gentium ad suos mortuos sepeliendos curioso viatori adhuc monstrantur. Turbae Celtarum per Pyreneos montes a septemptrione olim ingressae sunt, tribus Iberorum trans Calpense fretum incolere terras incepérunt. Ubi unaquaque stirps conveniebat filios mixtos generuerunt, et rufi septemtrionales et fusci meridionales, pace praesertim causa vicinitatis miscerunt sanguinem, Celtiberi tunc orti erant.

Nondum Hispania a Romanis capta vici longe lateque dispergebantur, nisi coloniae Phoenicum aut Graecorum ad maris oras excipientur. Quae de Tartessorum regno ne verbum quidem eloqui oportet nam nostris in diebus et quoddam viget aenigma.

De huius narrationis oppidulo prima notitia a Tito Livio procedit: Toletum urbs parva sed loco munito. Nonne eius nomen quidam sonus barbarorum ab auris Romanis defectu perceptionis ortum erit, ut solet? Posthaec in historia est ingressum.

In primis parvi momenti Romanis fuit, licet omni festinatione omissa fortasse gratia " loci muniti" silentio adolebat, unde permagnum circum extra moenia in planicie solide tempore opportuno extruxerant,

cuius ruinae etiam nunc cuiquam panduntur. Extra portam vici christianorum Arabice Bab mardon nuncupatam iuxtam murum ipsius cloaca Romana asservatur; ante vetus sanctae Crucis nosocomium intra urbem muri altissimi quamdam plateam ad modum horti ornamentationis dispositi ne terra in viam publicam discedat splendore exstant. Fundamenta castelli sancti Servandi in quodam colle contra urbem, supra quae Visigothi Maurique alternatim aedificium reficere inveniuntur.

Quia a culmine ad radicem usque montis, qua Toletum expandebatur, saxum compactum sit, nam eius moenia urbem fere involvunt ad planitiem usque vergentia, per ripam fluminis nunquam custodiam ab hominum manibus confectam habuit, flumen urbem semper custodit, aqua e terra non fluit, nullus datur fons, ergo aut supra dorsum animalium vehebatur aut a pluvia in cisternis recipiebatur, unaquaque domus ad nostros quoque dies suam cisternam ostendebat.

Hispania a Gothis denique capta (411) ordinem Romanorum observabat, barbari erant victores qua de causa cultura subditorum longe lateque eminebat sic ab eis linguam moresque extemplo recepere suorum obliscentes, nihilominus multa barbara in Hispanorum usum simul recipiebantur. Saeculo V dimidiato Toletum iam praestigium acceperat ingentem, "urbs regia" ob regum sedem domiciliumque Wisigothorum vocari incepérat, cuius nomem eminens ad ruinam usque a Mauris (711) prolatam retinuit. Duodecimo in Toletanio concilio (681) Gundemarus rex quia iam dudum Toletum urbs regia fuerat eius episcopum provinciae Carthaginensis metropolitanum contra Carthaginis Novae iura palam constituit, veteres querelas in futurum dirimiebant, sic una cum rege plerique episcopi Hispaniae Septimaniaeque hanc rem consignarunt confirmaruntque, quod postea nemo dubitare ausus erit.

Denique III Idus Novembris anni 711 iuxta ordi-

nem ritus Gothici seu Hispani, festo sancti Martini Turonensis, ultima missa sollemnis in cathedrali ecclesia fuit celebrata; statim urbem Mauri receperunt deditiois gratia et paucos post dies templum islamicum fiebat.

Sub Maurorum Cordubensium splendore dominatusque Toletum semper "parva urbs" praestigii sui occasum haud cognovit, quam Corduba Hispalisque minore amplitudine praeditum. Regno Cordubensi comminuto (versus 1055) cum fragmentatione partium, vera splendoris declinatio longe lateque apparuit, tunc quoque apud Mauros atque apud christianos regnorum mosaicum inter se dimicantium proeliantiumque aderat. Toletum quidem rex recepit qui in ordine successionum ad deditioem usque urbis christianis permansit. Adhuc in urbe monumenta et permulta Maurorum dierum vigent, ostenduntur, ac triplex vicus mediæ aëvi hucusque definire licet: Maurorum et iudeorum ad meridiem urbis, christianorum ad septentrionem attinet.

Mense Maio declinante anni 1085 rex Maurus Toleti Ildefonso VI Castellae Legionisque regi suum tradebat regnum, ipse christianus nondum rex ipsa in urbe quondam hospes alterius regis fuerat.

Reges Castellae ac Legionis hac in urbe commorari solebant qua de causa intra moenia multa aedifica-

verunt quae et nunc stant, atque innumeræ fabulae ad nos quoque de illis diebus pervenere, traditiones civitatis constituant. Denique Carolus I Hispaniarum rex, V Germanus imperator hanc urbem ut propriam sedem constituit suoque splendore magnificavit, unde et hodie Toletum urbs imperialis ubique vocatur. Causa augmentationis terrarum quae regnum Hispaniae informabant, in qua sol nunquam occasum habebat, filio suo Philippo II sedem regalem in aliam urbem transferri suavit, quod peregit. Postea declinatio urbis lente procedendo inspicitur atque in praesentia solum Musaeum veteris ac saecularis luminis, tanti temporis, tantæ gloriae.

Ergo etiam atque etiam nostris in diebus a fastigio montis saxei ad radicem eius cum optimis terris a Tago irrigatis, cum muris suis refectis atque non ab urbe distante armorum fabrica penes proprietates aquarum fluminis ad temperandum chalybem, Toletum urbs parva sed loco munita et decoribus saeculorum adstat, pars novae structionis per planitiem expanditur antiquam verens, atque uti in praeteritis diebus urbs regia non est sed saeculorum speculatrix.

Eustasius Sanchez Villaran  
Matritensis

## DE VERNALIBUS DIEBUS FESTIS.

Post lectionem relationis meae in fasciculo quinto Melissæ, P. Cœlestis Eichenseer ad me litteras misit quibus me monebat se nonnulla invenisse realitati ipsi parum convientia. Exempli gratia, Christianos aiebat non elegisse locum Adonidi iam diu ante consecratum ut fieret locus Nativitatis sed potius Hadrianum imperatorem postea Adonidis cultum instituisse loco ipso Nativitatis.

Quare oportet lectores moneam me disputationem historicam nolle inire. Cum in superiore commentario tum in sequenti, tantum monstrare in animo habeo perennitatem dierum festorum, qui iam ante Christianismum celerabantur. Fons præcipuus mei scripti est liber cui titulus "Les clefs païennes du Christianisme" (A. Neyton. Paris, Les Belles Lettres, 1979). Lectores curiosos certiores facio Dr P. Cœlestem Eichenseer de his rebus scienter et prolixe tractavisse in "Voce Latina" (XVIII, 1969; XXVI, 1971; XXX, 1972; XXXIII, 1973).

### DE PASSIONE.

In initio, Passionis dies erat quotannis 25 usq. m. Martii, quo etiam celerabatur Attidis passio fortasse quia congruebatur in Kalendario Juliano cum die aequinoctii verni.

Usque annum 1962um, Passio celebrata est die 14° ante diem Paschæ. Inde a concilio Vaticano celebraatur Palmarum die, id est die septimo ante Pascham. Quod Christianorum sollemne etiam gentilium sollemni succedit atque eodem die celerabatur. Quaedam similitudo est inter Passionis caerimonia et Adonidis cultum. Apud Christianos velut apud Adonidis initiatos Passionis dies consecratur doloris significacioni. Utrique flent ante arcam floribus ornatam.

### DE PALMARUM DIE.

Palmarum dies hodie celebratur dominico die qui sollemne Paschale antecedit. In initio hoc sollemnem commemorabatur Iesus Christus Hierosolyma rediens, cui obviam prodibant multi homines palmas agitantes et "Hosanna" clamantes. Sunt qui in Palmarum die inveniunt vestigium consuetudinis gentilis, qua virentia renascensia celebrabantur ad fecunditatem incitandam. Athenis etiam fructus decerpiebantur die festo, qui vocabatur "Nuavéψια"; pueri pompam ad Apollonis templum ducebant, quorum unus ibi ponebat olivæ ramum lana involutum, cui panes, fici et pocilla mellis vel olei vel vini plena suspendebantur. Ceteri pueri tenebant fructus herbas et plantas. Adhuc in Mediterraneis regionibus Palmarum die pueri ramos fructibus conditis, placantis et aliis cuppediis oneratos sufferunt ad benedictionem accipiendam.

Ut rami etiam in se prosperitatis spem habebant, Athenienses in domorum frontibus olivæ ramos figurebant. Romæ etiam Kalendis Martiis laurii rami in Flaminum aedibus suspendebantur. Hodie Catholici etiam buxi ramos Palmarum missa benedictos servant, quos anno proximo tantum renovant.

### DE PASCHALI SOLLEMI.

Maximus Christianorum dies festus est Paschale sollemne. Resurrectio enim Christi credentibus affert spem vitae aeternæ. Olim etiam Adonidis Attidis iniciati eorum resurrectionem sperantes gaudent. Paschalis dies festus, stabilis in initio inde a Nicæo concilio constitutus est primo Dominico die post Lunam a die aequinoctii verni (21° m. Martii)

# PAGINA PHILOLOGORUM

## DE HUGONE HENRICO PAOLI LUCUBRATIUNCULA

Quisquis res Romanas primoribus labris attigit studioque amplexus est, librum illum, c.t. Vita Romana, certo cognovit, ut qui anno 1940 primum foras datus, exinde ex Italico in alios sermones conversus, semel atque iterum typis sit mandatus. Idem forsitan audierit Hugonem Henricum Paoli, qui librum conscripsit, natum esse Florentiae anno 1884 eademque in urbe anno 1963 ultimum diem obisse; eum in compluribus studiorum universitatibus (velut in Genuensi et Florentina) litteras Latinas tradidisse; iuris Attici fuisse peritissimum. Iam vero pauciores inveniri suspicor qui nostrum et poesi Latina praestitisse et inter omnes saluta oratione Latina antecessisse compererint. Atqui Paoli cum varius et egregius poeta, tum lepidus et elegans solutae orationis erat scriptor. Carmina quidem eius ad occasiones imprimis sunt pacta - nam nullus fere erat doctorum virorum conventus quin et noster invitaretur ut ex tempore carmina conderet eademque recitaret; quae carmina (anno 1961 in librum congesta) si evolves, ante omnia dicendi genus admirabere quod, quamvis hodiernas tractet res, auream tamen Latinitatis aetatem redolet; tum subolfacies melancholiam quandam senilem et eam quidem lepiditate pensatam saleque aspersam; quaedam dubio procul saepius lectitare tibi cupies, velut ea

quae Annorum cohortes et Nox Florentina inscribuntur; quodsi Mortuorum saltationem Lemurumque regem relegeris, Horatium illum alterum mira arte in carminibus vertendis praeditum fuisse concedes. De carminibus satis. Iam ad soluta oratione scripta transeam. Evidem amicis percontantibus num nostra aetate inveniantur qui pure et emendate et Latine scribere queant libellum illum in manus dare saepe soleo cuius De senectute est inscriptio, opusculum anno 1942 typis excusum, quod adversus ipsum Tullium est scriptum senectutisque incommoda illustrat. Cuius libri stilus elegans, facetus, humanus, mollis, numerosus, eiusmodi est ut omnia quae nostro aevo in eo genere sunt scripta facile superet, id vero argumentum, quod, etsi incommoda senilia nonnumquam verbis exagerantur, nihil invenias cui non plane assentiare, nisi forte τὰ μέτρα τὰ φυσικά investigas. Id specimen Paolianae artis afferre legentibusque offerre mihi pree spatio non licet. At nullum mihi dubium quin eam fabulam, quam infra legendam proponemus, viri puri sermonis amantes summopere sint probaturi ut lapillum quasi quandam undique gemmantem; eadem enim elegantia nitet, qua et reliqua eius scripta aspersa videmus.

Theodericus SACRE  
Lovanensis

## DE REGIS FILIA PULCHERRIMA.

Regiam puellam quattuor adulescentuli, summo genere orti, misere perditeque amabant. Par omnibus nobilitas, forma, ingenium, virtus in armis, iuventutis decus; pari in puellam amore deperibant; pari studio illius connubium exoptabant. Quae, cum diu cui nubaret dubia atque incerta fuisset, gravi morbo correpta, paucis diebus periit.

Postquam autem, perfectis exsequiis, corpus mortuae virginis in rogo est impositum flammisque involutum ardere coepit, unus ex illis adulescentulis in ignem periturus se proiecit, ut, quandoquidem spem nuptiarum mors ademisset, uno dumtaxat eodemque monumento cum puella conderetur. Ubi vero omnia combusta sunt flammaeque resederunt, alter illorum iuvenum, cineribus diligentissime collectis, splendidum mortuae puellae sepulchrum extruxit, idque area circumdedit pretiosis arboribus exquisitisque floribus consita, quam summa diligentia ac pietate cottidie colebat, multoque aquarum rore, multis lacrimis perfundebat. Tertius vero adulescentulus statim peregre profectus est, ceterisque curis posthabitis totum orbem terrarum curribus et navibus parvagabatur, studiosissime quaerens num vestigando et perscrutando omnia remedium aliquod invenire posset, quo exhibito puella ad vitam revocaretur. Unus tantum ex quattuor, quamquam et ipse gravi maerore adficebatur, seu quod blandius puellam amaverat, sive eo quod tribus illis, ut sus-

picari licet, sapientior erat, nullum amoris pietatisse documentum edidit: domi mansit, lacrimis temperavit, negotia sua gessit.

Accidit vero ut ille, qui eo animo in externis regionibus peregrinabatur, ut regis filiae vitam redderet, ignotae quoddam Indiae oppidulum casu ingressus id tandem remedium inveniret, quod diurno labore requirere non desierat: pulvis erat magicus, mira efficacia vel adversus mortem praestantissimus: "pimpirimpinus" appellabatur. Forte eum pulverem mercator, illius regionis incola, dum in longinquas terras nullo comite iter facit, in ipsa via temere effusum nactus erat, tantoque fortunae munere vehementer gavisus exspectabat, si quis illum magna pecunia accipere vellet. Non cunctatus est adulescentulus ingenti pretio oblatum medicamentum emere; deinde, nulla mora interposita, redditum parare coepit. Domum ergo quam celerrime reversus, penates suos tandem revisit, pulverem secum adferens, quo nihil pretiosius aiunt in his terris inveniri posse. Ne multis: puellae sepulchrum adiit statimque vim pulveris experiri constituit. Quid tum? O rem mirandam! Terra movet, sepulchrum nutat, dehiscit, corruit; urna ipsa recluditur, patefit; cineres animantur: dicto citius mortua virgo atque una amans ille miserimus, qui iisdem flammis consumptus eodem monumento, perrmixtis cineribus, conditus erat, incredibili omnium gaudio ad vitam redditus sunt.

Sed rursus, ut sunt adolescentuli in amando obstinati, lis magna orta est, quis pueram uxorem duceret, quam suam quisque fieri cupiebat. Neque longe res aberrat ab armis et sanguine, atroxque certamen exarsorum erat, nisi puerae pater, rex idem summa prudentera praeditus, adolescentulis persuasisset, ut sapientissimum quandam senem adirent ab eoque ea lege sententiam acciperent, ut quicquid ille statuisset, ratum omnes haberent. Placuit consilium atque arctissimo se iureiurando obligaverunt nihil quemquam contra senis illius sententiam ausurum. Qui quidem, cum diu multumque rem consideravisset, haec fertur edidisse : "Qui pulveris virtute pueram ad vitam revocavit cum patris munere functus sit (pater est enim quicumque mortali homini vitam tribuit), patris loco est habendus. Desistat igitur puerae nuptias appetere : parentes a liberorum connubio leges omnes arcent et humanae et divinae. Qui vero eiusdem patris opera et consilio una cum illa revixit, frater est : fratri sororem nubere nefas. Qui, sepulchro exstructo, aream diligenter consitam assidue coluit, servi ille operam virgini navavit, non sponsi. Regiam pueram apud servum collocare et lex vetat et mores non patiuntur. Quid contra impediverit quominus unus ille, qui, amissa puerla, morem sibi gessit, res suas non neglexit, mortuos iacere iussit, cum neque pater sit, neque frater, neque servus, domum virginem ducat? Huic uni igitur rex filiam suam despondeat oportet". Omnes consenserunt sapientem illum rem optime diiudicasse, sanctissimeque iuriandum servarunt.

Haec fabula monet ne nimis in re ulla, si quid cupimus, desudemus, cum fortuna, ut multis ex rebus colligi potest, plerumque soleat neglegentioribus favere.

---

## NAENIA GALLINACEA (Aegidio Sacré)

Mi tranquille  
parve pulle,  
stant in valle  
pulchrae villae  
et corollae  
sunt favillae,  
quovis calle  
micant stellae  
donec velle  
vincit nolle,  
sed, pusille  
pupe pulle,  
crista galli  
est in colle.  
Meum tolle  
verbum molle:  
rex est ille  
super mille:  
umbrae pullae  
cedit nullae;  
albae stillae,  
rubrae bullae,  
voce galli  
sunt Sibyllae  
atque belli  
codicilli,  
sunt lapilli  
et fabellae  
voce galli,  
parve pulle,  
mi tranquille  
pupe pulle.

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis.

## DE VERNALIBUS DIEBUS FESTIS.

(sequitur).

plenam factam. Sic Pascha semper celebratur inter diem 22 um m. Martii et diem 25 um m. Aprilis.

Quid de ovis Paschalibus? Hodie tantum sunt cypedia. Antiquis temporibus gentes quae ad mare Mediterraneum incolebant habebant ova ut signa resurrectionis quia in se ipsum habebant spem vitae.

Diana Licoppe  
Bruxellensis

## LUDUS ALTERNUS

Funiculum stellae, mea cara, ligabo remotae  
et terram et caelum, caelum terramque tenebo.  
Ecce volans terrae incola sum sed sidera quaero,  
ecce ad te redeo de sideribus prope tactis,  
atque iterum -aspice me- breviter te linquo deorsum.  
Nescio quando, funiculus rumpetur et ecce,  
proxima me accipiet de terra stella cadentem .

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis.

# DE PHONOCSETIS A SOCIETATE LATINA EDITIS

In periodico universitario Flandrico, cui titulus

## DIDACTICA CLASSICA GANDENSIA

( Gent, 23 1983 pp. 313-314), invenimus existimationem duarum phonocasetarum, quas conficiendas curavit Societas Latina Saravipontana ad rectum pronuntiatum Latinum explanandum. Quae existimatio nobis visa est ambigua, sed ita congruit cum mente permultorum hodiernorum philologorum, ut non possimus teneri quin eam lectorum oculis subiiciamus. Plerique enim philologi classici hodierni se habent pro specialistis exiguae tantum partis Latinitatis et videntur timere linguae Latinae vitam participare. Proni sunt ad obstacula difficultatesque augendas, quae eis excusationi sint.

Extispices obscuri linguae Latinae esse malunt, quam eius peritiores illustresque paecones.

C. EICHENSEER, *Latinitas viva. Phonocaseta prima. Phonocaseta secunda. Libellus textualis I. Libellus textualis II. Saarbrücken, Verlag der Societas Latina (Universität), 1983.*

Cuius Nederlandici scripti, quod subsignavit Knecht D., sequitur translatio integra:

De linguae Latinae pronuntiatu plus scimus quam plerique agnoscere solent, etiam inter philologos classicos. Quare, sine vaniloquentia, Societatis Latinae Saraviensis moderatores coeperunt hunc rectum pronuntiatum explanare duabus phonocasetis, quibus nonnulli textus Latini emendate proferuntur a Saraviensi phoneticae professore M. Mangold eiusque cooperatoribus M. Bonner et P. Wandel. Quamvis textuum argumentum non raro sit ineptum, hoc libenter pro causa bona concedimus.

In prima phonocaseta, septem docti, mulieres et viri ex diversis gentibus, primum Caesaris librum de Bello Gallico legunt suo solito gentili pronuntiatu, eodemque saepe horribili. Post tertium lectorem auditum facetiae iam saturi sumus et reliqui potius sunt praetermittendi. Deinde sequuntur, idem Caesaris liber emendato pronuntiatu lectus, parva pars Johannis evangelii ex Vulgata (Societas etiam sperat Ecclesiam Catholicam Romanam. umquam ad restituti pronuntiatu usum perduci posse; cfr. libellus textualis I, p.6), conspectus Latinarum vocalium diphthongorumque atque nonnullae lectiones, modo methodi Assimil confessae, ubi v.g. proponuntur modi Latine salutandi et breves dialogi de modernis vehendi modis et de electricis domesticis adiumentis (vetus somnium linguae Latinae adhibendae velut Volapuk vel Esperanto).

In altera phonocaseta, invenitur conspectus pronunciationis omnium Latinorum sonorum (vocalium

consonantiumque). In sua sonorum dispositione, scriptores ordiuntur a litterarum formis, unde inconsequenter factum est ut consonantis nasalis velaris vis phonetica coniungeretur cum littera n, quamquam haec vis phonetica Latine regulariter etiam littera g exprimitur (magnus etc...). Sequuntur exposicio accentus Latini et appendix, quo, etsi tractetur problema nasalisationis, tamen nihil dicitur de non-nullis magni momenti productionis phaenomenis, quae fieri solent ante litteras geminas "ns" et "nf" (id quod persaepe fit in coniunctione cum praeverbiis "in" et "con" atque in casu nominativo numeri singularis participiorum praesentium), ante litteras coniunctas "sc" (v.g. in inchoativis verbis temporalibus) et "net". Oportebat etiam addere litteram i brevem proxime litteram e longam pronuntiari et litteram u brevem proxime litteram o longam. Porro in lingua Latina consonantes duplices diutius producuntur quam simplices, id quod re vera oblique ex phonetico indice infertur, sed tam extraordinarium phaenomenum est pro multis linguis, ut id separatim indicare utile sit.

Postea audiuntur quattuor breves Ciceronis epistulae et nuntii radiophonici, qui nuper e statione radiophonica Saraviensi vere emissi sunt. Patet ex nota paginæ 27, cum statio radiophonica hoc inceptum iam post primam emissionem prohibuisset, Societatis Latinae moderatores mirabundos et contristatos fuisse. Quam rem verisimiliter mirantur soli.

Denique nuntiamus post has duas phonocasetas sex alias exspectari.

(Quod in Latinum convertit G. LICOPPE)

Qua existimatione perfecta, Dr P. Caelestis Eichenseer nonnulla respondere voluit, quae sequuntur sub titulo:

## ADNOTATIO CRITICA

Sunt quidem Belgae, qui quasi primi sunt ausi de duabus phonocasetis, quas conficiendas curavimus Saraviponti [= Sarrebrück], sententiam recensionis et existimationis proferre quamvis non omni ex parte satis aequam satisque iustum. Tamen hic ausus Belgicus summis laudibus extollendus est. Nam nondum quisquam in Germania- Saravipontum in Germania Confoederata situm est- neque quisquam in Italia neque quisquam in urbe Vaticana neque quisquam in Hispania vel Britannia de his duabus phonocasetis palam publiceque iudicare conatus est vel ausus. Tantum in Francogalia, in fasciculo "VITAE LATINAЕ" (Avennionensis) numeri 91i (anno 1983°), pp. 46-47, atque ibidem in fasciculo 93i (anno 1984°), pp. 42-44, complura vidiimus scripta, eaque mirabiliter favorabilia. Non ita favorabilia verba sunt, quae Knecht D. in "Didacticis Classicis Gandensibus" (Gent, 23 [1983] pp. 313-314) nupperime (ineunte anno 1985°) divulgavit.

Tamen ille quoque, ut verum confiteamur, manifesto laudat pronunciationem Latinum a locutoribus

emendate proferri, laudat etiam consonantes geminas exacte prolatas, id quod non omnibus populis facile factu sit. Idem vero vituperat et reprehendit, quod quaedam optabilia atque desiderabilia desint. Sed his in rebus valde dolemus, quod ille existimator cetero-quin doctissimus et paeclarissimus aliquatenus surdaster videtur fuisse vel caecutiens.

Nam in phonocaseta phonetices Latinae nihil audivit nihilque in libello textuali vidi verbi gratia de 'ng', quamquam pag. 11a quindecim exempla affe- runt, item nihil videt vel audivit de "ns" et "nf", quibus subsequens vocalis prolongari solet, quamvis non pauca afferantur exempla: novem pagina 6a, tredecim pagina 20a. Certe quidem potuit aliud schema adhiberi - hoc cum pace existimatoris libenter dixerim - atque alia dispositio proponi. Tamen eum ordinem secuti sumus, qui similibus in schematibus internationalibus adhiberi et exhiberi solet, cum pronuntiatus Latinus ad multos populos pertineat et spectet, qui sunt cum fundamentis Latinis multimodis artissimeque coniuncti.

Denique idem censor neque videt neque audivit subtilitates differentiarum, quae sunt inter i longam et e longam et o longam et u longam, quamquam septuaginta tria exempla afferuntur. Videtur autem illi displicuisse, quod haec exempla quasi "contrastiva" non sint iuxta posita. Postea quae dicta sunt de brevi quadem emissione Latina stationis radiophonicae Saravicae, rei ipsi non convenient. Nam praepositi illius stationis radiophonicae nobis unam emissionem quasi experimentalem fieri posse promiserunt, sed iidem promissis non steterunt. Itaque ea, quae praeparaveramus, ne semel quidem ad effectum adduci potuerunt (cfr libellus textualis phonocastae secundae, p. 27 - adn.).

Haec pauca de phonetica Latina, id est de phonocaseta secunda seriei prolongandae.

Transeamus oportet ad phonocasetam primam, ubi agitur de diversitate pronuntiatus Latini populorum Romanicorum atque populi Anglici et populi Germanici. Sed his in rebus proponendis et exhibendis existimator non intellexisse videtur nobis maxime cordi fuisse has diversitates satis audibiliter satisque perceptibiliter proponere. Nam omnes hi populi summo iure autmant se fundamentis Romanis atque Latinis fideliter servatis niti. Tamen tales diversitates!

Ex his condicionibus inconcussis - quae res erat satis sufficienter demonstranda, non solum obiter! - audientes tandem cognoscant linguae Latinae pronuntiatum uniformem eumque vere vel satis Latinum non solum commendabilem esse et suadibilem, sed multo magis inevitabilem atque pernecessarium.

Deinde ille censor semitam posteriorem phonocasetae primae perstringit atque carpit rodit vellicat. Ait enim textuum argumenta non raro inepta esse. Videtur ille non vidiisse nos primis sex capitulis locutiones non attulisse nisi testimoniis textibusve testibus antiquis testificatas, quos locos singillatim una cum sententiis ipsis per septendecim paginas diligentissime indicavimus copiosissimeque adnotavimus. Paucissima subiunximus colloquiorum familiarium Erasmi Roterodami, quae putavimus Flandris quoque satis multum placitura esse atque probatum iri.

Denique duo tantum capitula subiunximus demon- stratur recentiora quoque satis Latine, satis suc- cincte, satis intellegibiliter denominari atque enuntiari posse. In his duobus capitulis duodeviginti neologismos iam pridem a plerisque rerum philologiae- que bene peritis comprobatos attulimus fontibus satis fuse indicatis. Si vero antiquitus, ut hoc exemplo utar, legitur 'electrum' et iam ex quattuor fere saeculis adiectivum, quod est 'electricus,-a,-um', in scriptis Latinis satis multis invenitur, ille censor iudicium sibi arrogat, quo dicit talia similiaque esse "Volapukiana" vel "Esperantica". Ergo ita si res se haberent, multi scriptores Latini iam ante complura saecula linguam Zamenhofianam anticipassent. Qualis cogitatio omnino absurda est!

Nos quidem semper putabamus philologos classicos, maxime Gandenses, et severitatis et aequitatis et iudicii veri nulliusque praeiudicij propugnatores et testes esse. Sed iudicium, quod Knecht D. protulit, multis ex partibus videtur esse nimis superfici- ale nimisque praeiudiciale sive praeiudicatum, id quod, ut verum confiteamur, valde dolemus.


Denique idem censor nobis nihil aliud, idque melius et praestantius, commendavit. Tamen, atque id quidem valde maximeque laudabile est, de his duabus phonocasetis, quamvis suo more, id quod est eius ius, ille fortiter et audacter scribere est ausus.

CAELESTIS EICHENSEER  
Saravipontanus

Dominicus Moris

VERBA INTEXENDA

vobis proponit



TRANSVERSA

- I Magis quam "cupis".
- II Novem. Vehitur.
- III Africanus. Secunda persona.
- IV Simulacri genus.
- V Qui ibunt. Natat.
- VI Ii qui Lutetiam habitant.
- VII Flamas iniciat.
- VIII Nota. Parari.
- IX Non vigens

VERTICALIA

- A Hodie non iam parent!
- B Impuleram.
- C Quae ibit.
- D Quae artem suam non bene norunt.
- E Flos. Coenautocinetum circum Luteciam vehens.
- F Graece: "mihi". Non illi.
- G Praepositio. Metallum.
- H Inquit. Atque. Francorum Macionum signum.
- I Eius laudem Erasmus scripsit.

SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

-BOTTRUPII [Bottrop], in urbe Rhenaniae Vestfalicae. Quod seminarium moderabitur P. Dr Caelestis Eichenseer per duas septimanas, a die 21/7 in diem 3/8 1985. De quo interrogandus est: Rochus Habitzky

Albertus Magnus Strasse 7  
D-4100 Duisburg 25-Huckingebr  
Tel. (0203) 78 14 30

-SELESTADII in Alsatia. Hoc seminarium eodem tempore ac Bottropiense habebitur, id est a 21/7 in 27/7/85; quare eius moderatores erunt Prof. Andreas Fritsch et Nicolaus Gross. De quo epistulae interrogatoriae mittantur ad sedem Vociis Latinae:

Vox Latina Universität-FR 6.3  
D-6600 Saarbrücken 11

-VESTENDAE in Belgica (cfr. notulam infra)

-HELVETICUM seminarium nunc primum habebitur in loco Morschach; quod moderabitur P. Dr Caelestis Eichenseer a 29/9 in 5/10/1985. De quo interrogandi sunt:

Erika Roth	Martinus Meier
Aeschistr. 6	Nassegasse 14
CH-3110 Münsingen	CH-3302 Moosseedorf (BE)

Tel. 031/920823

TERTIUM SEMINARIUM VESTENDENSE

habebitur iisdem in aedibus "Zon en Zee" a die 17° in diem 24um m. Augusti a° 1985°.

Dr. P. Caelestis EICHENSEER sua solita methodo iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum. Cum participes ex multis regionibus convenire soleant, facile percipitur quantum valeat lingua Latina ad commercium inter gentes, quarum sermones patrii dissimiles sunt. Invitantur universitatum alumni vel etiam scholarum discipuli, qui per nonnullos annos linguae Latinae descendae iam studuerunt.

Invitantur magistri magistraeque linguam Latinam docentes. Facile Latine loqui addiscunt, id quod plerisque maximo gaudio et utilitati est. Ceteris sunt optimum exemplum.

Invitantur etiam omnes qui linguam Latinam colunt et censeant illam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europeas.

Inter colloquiorum latinorum exercitationes et verborum recentiorum explicationes, participibus licebit frui litoris amoenitate et ludicris actusitatibus, quae in ipsis aedibus proponuntur, ut teniludus, natatio (sub tecto vel sub divo)...

Notandum est aedes "Zon en Zee" aptas esse ad familias per ferias accipiendas. Quare participes sine molestia familiam secum adducere possunt. Familiae pars, quae sessiones Latinas non participat, ludicra vel athletica otiose exercere potest.

Excursio unius diei fiet ad Ypram et Dammam invisen-das, Paulo Elsen mystagogi Latine ducente.

Pro hospitio, alimonio usque ludorum athleticorum solvendi erunt 800 Fr.B. cottidie. Pro institutione 120 D.M. mittendae erunt ad VOCEM LATINAM.

FERIAE LATINAЕ

PERIAE LATINAЕ IN SEDE "SOPHIA ANTIPOLIS"

-SOPHIAE ANTIPOLI (Antibes) in Francogallia a 2/7 ad 9/7/85, de quo scribendum ad M.C. Desessard Résidence des Collines, C.9 rue Léon Brun F-06210 Mandelieu

PERIAE LATINAЕ IN DOMO INSTITUTIONIS "SODALITAS" TINJIS  
16. - 26. Julii 1985

kat. dom prosvete Sodalitas  
A - 9121 TAINACH / TINJE  
Carinthia, Austria. Tel.: (0.42.39) 26.42

PERIAE LATINAЕ IN ABBATIA S. ORD. CIST. STIČNA

4. - 11. Augusti 1985  
Cistercijanska opatija Stična  
YU - 61 295 IVANČNA GORICA  
Slovenija, Jugoslavija. Tel.: (0.61) 783.

PERIAE LATINAЕ IN DOMO ORATIONIS GETSEMANI SYRACUSIS  
22. - 31. Augusti 1985

Casa di preghiera GETSEMANI  
Suore della Misericordia e della Croce  
Via Serradifalco, 1  
I - 96 100 SIRACUSA  
Sicilia, Italia. Tel.: (0.931) 5.44.44

De quibus Feriis epistulae interrogatoriae mittantur ad Professorem Suitbertum H. SIEDL O.C.D.  
Gyllenstorm-str. 8 // A-5026 Salzburg-Aigen (Austria)

Comperimus novum Latinarum celebrationum genus fore in Iugoslavia, moderante Professore S.H. Siedl OCD; de quibus ex novissimo LATINITATIS fasciculo depprom-pimus hoc nuntium:

HORULAE LATINAЕ LABACENSES

Postquam ianu anno praeterito studentes universitatis Aemonensis, quo melius se ad Ferias Latinas aestate celebrandas praeparent, consilium inierunt statutis temporibus convenienti ut Latinae inter se colloquenter, quibus conventibus (e nomine primae expositionis grammaticae artis linguae Slovenae, cui libro olim titulus erat - Arcturae Horulae \*) nomen indiderunt Horularum Latinarum, nunc collatis consiliis placuit — pro his praescerit qui Aemonae habitant vel quomodocumque se facile possint Agmonam conferre — novum genus celebrationum Latinarum condere sub eodem nomine. Appellentur ergo et sint vere HORULAE LATINAЕ LABACENSES, celebrandae singulis mensibus per bi-duum, modo simili ac Feriae Latinae, ea tamen lege ut ad ipsas celebrations diebus congregandam statutis cum mane tum post meridiem, ad victum vero et ad domicilium unusquisque ad proprios Lares (vel, si aliunde advenierit, ad deversorium proprio marte quæsitus) revertatur.

Celebrabuntur ergo hæc HORULAE LATINAЕ LABACENSES diebus Sabbato et Dominica hic indicatis:

12-13. Ianuarii, 23-24. Februarii, 23-24. Martii, 27-28. Aprilis, 25-26. Maii, 22-23. Iunii 1985. Deinde sequentur variae Feriae Latinae aestivæ.

Aemonenses, vel in ipsa regione viventes, qui de his HORULIS LATINIS LABACENSIBUS plura scire desiderant, scribant ad dominam Breda Cop. Martina Krpana 4 c, YU-6100 LJUBLJANA; qui vero ex aliis regionibus de his certiores fieri velint, litteras mittant ad me: Suitbertus H. Siedl, O.C.D., Gyllenstorm-str. 8, A-5026 SALZBURG-AIGEN, AUSTRIA.



# MNIVM GENTIVM AC NATIONVM CONVENTVS LATINIS LITTERIS LINGVAEQVE FOVENDIS

a die 5°  
in diem 10 um  
mensis Augisti  
anno 1985°

*Curante Academia Latinitati fovendae sextus Conventus habebitur Dunelmi (Durham, in Anglia) a die quinto ad decimum mensis Augusti anno MCMXXXV".*

*Sedes Conventus erit Collegium Sanctae Hildae Sanctique Baedae in Universitate Dunelmensi, sescentis fere passibus a Cathedrali Ecclesia Castelloque distans et amoenissimo veteris urbis, fluminis, camporum prospectu praeditum. Omnibus sessionibus spatium erit amplum intra muros Collegii, quod etiam satis cubiculorum habet. Thema Conventus, ubi omnia Latine agentur, propositum est "Britannia Latina". Orationes maioris momenti habitum iri speramus a Caeleste Eichenseer (de Venerabilis Baedae scriptis), a Boleslao Povsic (de eis quae Cicero de Britannia scripsit), a Michael Rambaud (quid Caesar et Tacitus de Britannia senserint), a Patricio Walsh (de Gulielmo Malmesburgensi historiae scriptoré), et ab aliquo ex Italib, cuius nomen nondum confirmare licet.*


*Aliis facultas praebebitur, si nos praemonebunt, de quolibet argomento idoneo (non solum de litteris linguaue, sed de omnibus rebus ad Britanniam Latinam pertinentibus) Latine eloquendi, dummodo intra quartam partem horae res agatur. Quamquam orationes commentationesque Latine habebuntur et linguae Latinae usus colloquiis participum valde commendatur, disputare licebit, si necesse erit, his quoque linguis: Britannica, Francogallica, Germanica, Hispanica, Italica.*

*Unus huius Conventus dies dedetur itineri ad Murum Hadriani faciendo et per Universitatē Novi Castelli Pontis Aelii redeundo. Altero die post meridiem greges modici participum Cathedralem, Castellum, repositorium chartarum monasterii antiqui spectabunt. Fieri potest ut, si qui volent, Museum ecclesiamque Venerabilis Baedae ad Jarrow visant: praeterea, Conventu peracto, occasio erit urbem Eboracum visendi. Post cenam uno alterove die speramus participes musica aliqua nec non drame Latine oblectari posse.*

*Quisquis amplius de Conventu quaerere vel secundum programma accipere vult, scribat ad Professorem Gavinius Townend, 38 North Bailey, DURHAM, GB - DH1 3EU*

*Haec, sodes, omnibus impertias quos arbitraris fortasse Conventui interesse velle.*

*Praeses conventus: Prof. (Emer.) Osvaldus Dilke,  
Leodensis  
Secretarius conventus: Prof. Gavinius Townend,  
Dunelmensis  
Inscriptio cursualis: 38 North Bailey, Durham DH1 3EU,  
England.*



**Durham**



*Hadrian's Wall at Walltown Crags*

# NUNTIA EX ORBE LATINO

## I. EX CIRCULIS LATINIS

Sodales circuli Latini Belgici litteras interrogatorias miserunt ad nonnullos Europaeos circulos Latinos, ut scirent quid apud eos ageretur. Responsum Doctoris Theoderici Krüger, qui circulum Hannoveranum moderatur, nobis visum est divulgandum:

Theodericus Krüger Diana Licoppe s.p.d.

A vobis petere debeo, ut mihi ignoscatis, quod tantum temporis intermisi, antequam epistolae a Domino doctissimo Alaeno Van Dievoet mihi missae respondi. Me de circulo nostro Latino interrogavit, nunc demum aliquid vobis narrabo.

Ante quinquennium interfui seminario doctoris Eichenseer Bononiae habito, ubi primo mihi occasio erat Latine loquendi; cum pergere sermones Latinos habere voluisse, institui Hannoverae circulum Latine loquentium condere. In concilio, quod semel in anno ab magistris linguae Latinae nostrae regionis habetur, annuntiavi propositum meum, sed ex magno numero perpauci parati erant convenire. Tamen mense Decembri anni 1979 initium feci: in caupona quadam convenerunt nonnulli discipuli et magistri et non nisi magno labore inter se sermones Latinos nexere coeperunt.

Postea et alios alleimus: homines, qui non ex officio, ut ita dicam, sermoni Latino student, sed qui voluptatis causa adiuncti sunt: geophysicus alter, alter sacerdos Lutheranus emeritus, tertius ingeniarius machinarum struendarum. Annis volventibus multi evanuerunt, recentes advenerunt ita, ut nunc plus minus quindecim sodales simus. Convenimus semel aut bis in mense, non in caupona ut antea, sed in domibus propriis: sodalis omnes alios invitat et postea iterum ab aliis invitatur. Semper amicis panis et caseus et vinum (et aqua mineralis autoraedariis) praebetur.

Sermones habemus de omnibus, quae in buccam veniant: de rebus, quae feris sint gestae: de iis, quae in scholis acciderint, de libris recentibus. Non semper nobis argumentum est propositum, sed interdum in sessione textus distribuimus, e.g. tempore vernali de poematibus, in quibus de vere poetae scripserunt, collocuti sumus vel unus ex sodalibus diapositivis exhibitis a crasin fecit de itinere Romano vel de tumbris Etruscorum.

## II EX NORMANNIA

Ab amico nostro Cadomensi Patricio Bougy pergrate accepimus exemplar iucundi novi libelli scholaris Latini, quem hoc anno in lucem edere coepit et cui index iocosus "LIBELLULUS"; vocabulo enim "libellule"

Ut plures homines asciscerem, coepi in Atheneo publico (quod Germanice Volkshochschule appellatur) cursum intituere, quem colloquium Latinum nuncupavi. Methodum directam, qua in linguis recentioribus docendis magistri uti solent, adhibui: omnia Latine tractavi, verba igota Latine explicavi, historiunculas aut ex auctoribus Romanis aut ex scriptoribus mediaevalibus aut temporis Renascentiae aut e sermone patrio desumptas narravi et auditores impuli, ut iterum narrarent; fabulas imagiunculis descripstaes iis in projectorio luminis diurni monstravi principalia verba praebens, ut fabellam configere possent.

Hoc modo nonnullos docui, ut postea circulo nostro interessent. Non semper profui cursui meo; nam ii, qui circulo intererant, non iam ad cursum venerunt.

In ultima sessione a sodalibus petivi, ut scriberent, quid de circulo sentirent.

Has schedulas adieci, ut si vis, iis uti posses.  
Vale!

Tria epistolia subiunximus:

Sum magistra linguae Latinae. Antea moleste ferebam me debere linguam docere, quae vulgo mortua dicitur. Hac de causa nonnullos ante annos constitui circulum Latinitatis Vivae, qui in oppido nostro conditus erat, participare. Hic circulus magnum gaudium mihi affert, quia sumus sodales hilares in loquendo Latine neque bonam cenam neque vina bona aspernantes.

Ilse Koppe


Valde severe a praeside nostro monetur qui regulariter congregaciones non frquentat et hac de causa omnes nos libenter intersumus.

Wolfgang ? geophysicus

Postquam emeritus sum, aliquid quae sibi ad mentem meam exercendam. Memini quandam me linguam Latinam didicisse (sed non multum) in atheneo populari. Nunc circulo Theoderici intersum. Latinitatem valde amo.

Heribertus Hoeft,  
emeritus ingeniarius machinarum struendarum

Francogallice designatur genus elegantium insectorum volucrum. Valde gaudemus quod in dies augetur numerus talium libellorum; speramus fore ut "LIBELLULUS" tantum proficiat quantum libellus "NUNC EST GAUDENDUM", cuius his diebus celebratur decies millesimum exemplar editum.



Potes Pagere pagina	1	: Quemodo hoc anno induciri sitis...
	2	: Cademi, pridie Nones Marties 1984
	4	: Res athleticae
	5	: De "Flan Saint-Michel" condito
	6	: Romae fabula
	7	: Res letheviferas
	8	: De Diogene
	9	: Res musicae
	10	: LUDI
	12	: Avi fabula
	13	: De Simio et Dophino
	14	: Letine cantate
	15	: Ars Coquinaria
	16	: Ludi soluti
	19	: In mercatura versamini

SI VIS LATINE SCRIBERE — TUA SCRIPTA MITTE AD

Mm CONAN  
rue de Carentan 50000 SAINT-LO  
aut  
Mm JACQUEMARD  
31 C avenue division Leclerc 50200 COUTANCES

### III EX POLONIA

Gratias agimus Domino Benno Tissler, qui ad nos misit et bibliothecae MELISSAE dono dedit duos libros Latino-Polonos:

IMPROBI SEMPER SUNT IN MITU, NI POEMA APPICIANT ALIQUANDO Ludzie nieuciwli w ciagle w strachu, aby nie byli kiedyl ukarani  
IN ABSENTIA Podczas nieobecnosci — W nieobecnosci  
IN ABSTRACTO W oderwaniu — Odrębnie  
IN AEQUALI IURE MEJOR EST CONDITIO POSSIDENTIS Przy równych prawach lepsze jest posiadanie posiadającego  
IN AETERNUM Na wieki  
IN AMBIGUO W razie wątpliwości  
IN AMORE HABE SUNT MALA: BELLUM, PAX RURSUM W miłości to jest nieszczęściem: raz wojna, resz pokój (Horatius)  
IN ANIMA VILI Na duszy lichej — Na zwierzęciu (doświadczenie przeprowadzać)  
IN ANIUM IN ANIA CONSILIA Puste zamiry pustych ludzi

INCERTA PRO NULLIS HABENTUR Niepewne nie ma znaczenia  
INCIDIT IN SCYLLAM CUPIDIS VITARE CHARYBDIM Wpada na Scylikę pragnąc ominąć Charybdę — Z dzieci pod rymem (cytat z Homer a w przekładzie łacińskim)  
INCIPIT Zaczyna (początek jakiegoś dzieła)  
IN CONCRETO W określonej sytuacji — W określonym wypadku  
IN CONTINUO W dalszym ciągu — Nieprzerwanie — Ciagle  
IN CONTUMACIAM Zaocznie (zaocne skazanie z powodu niestawienia się)  
IN CORPORE W całoci — Wszyscy razem  
IN CORPORE SANO MENS SANA W zdrowym ciele zdrowy duch  
INCREDIBILE DICTU Nie do wiary  
INCREDIBILE VIDI Niepodobne uwierzyć własnym

CZESLAW JEDRASZKO

ŁACINA NA CO DZIEN



N

NASZA KSIĘGARNIA • WARSZAWA 1980

VADE MECUM  
Biblioteka Klareska

Verte

Lacińska przysłowia, sentenze i ulotne słowa obyczajowe, wiersze, przesłówki i opracowanie

STEFAN STASZCZYK  
przy udziale  
KAROLA JAWIŃSKIEGO

WARSZAWA 1980  
PAPROCKIE ZAKŁADY WYDawnictw SZKOLNYCH



### IV EX BOHEMO-SLOVACIA

Posonii, die 16<sup>o</sup> m. Ianuarii 1985<sup>o</sup>

Domine honorabilis Licoppe!

Periodica, quibus titulus Melissa et Nunc est gaudendum, a Te missom magno cum gudio accepi, pro quibus Tibi maximas ago gratias.

Pauca de me dicam. Studio linguae Latinae serius et extra scholam incubui. Tantum animi debeo, quod progressor et assecutus sum gradum, in quo nunc sum.

Ego et sodales mei gratiam Tibi habebunt, si unum exemplar periodici, cui titulus Melissa, nobis etiam in posterum tempos mittes.

Prænomen meum in Latinum vertitur Adalbertus. Vide Vox Latina 69/1982, p.341, linea 29. Nomen est slavicum neque in linguam Latinam verti poterat, adeoque terminus artificialis eligebatur.

Ex animo Te saluto.

Mea inscriptio cursualis:  
Vojtech L e t k o  
Francisciho 11  
CS - 811 08 BRATISLAVA  
Czechoslovakia

### V EX FOEDERATIS CIVITATIBUS SOCIALISTICIS SOVIETICIS

Iacobus Borovskij Diana Licoppe  
s.p.d.

Gratias tibi ago maximas, Domina Illustrissima, de fasciculo "MELISSAE" 1984,4 humanissime mihi dono misso. Ibi multa invenio lectu iucunda cognitu utilia, omninoque periodicum illud appetet esse eximum contributum ad causam Vivae Latinitatis. Itaque appropinquante festo Novi Anni pia vota facio ut annus MCMXXXV omnia prospera felicia fausta afferat "MELISSAE" et toti Societati Latinae, cum optimo pacis atque amicitiae inter populos emolumento. Vale.

Iacobus Borovskij  
Academiae Latinitatis inter  
omnes gentes fovendae  
socius conditor

Leninopoli, 18 XII 84

## CUR LATINE SILEANT UNDAE

### (sequitur)

quanta qualive pollet Conventus generalis Latine doctorum nunc feliciter Augustae Treverorum congregatus, in modum incepti vere Europaei efficaciter commendata et promota."

Fuit, quasi vox clamans in deserto atque postea P.C.Eichenseer instanter rogare debuit ut haec verba in Actis Conventus ederentur.

Minime mirum ergo, si emissiones radiophonicae Latinæ non fiunt, cum neque politici neque ipsi philologi rem expetant.

Spes tamen non est deponenda. Immo contra; multis enim in regionibus vidimus nova conamina Latina oriri, ut commentarios, circulos, coetus, spectacula... In dies plures magistri ad Latinitatem Vivam veniunt, qui dicant se nolle linguam Latinam ut mortuam docere. Etiam sunt philologi academici, qui animo non deficient; unum tantum nominabo, Professorem Valahfridum Stroh Monacensem, qui non timet Ludos Latinos instituere et quem non pudet etiam de rebus familiaribus Latine loqui.

In Latinitate Viva latius rectiusque diffundenda certe plus egemus vocibus quam scriptis. Occasiones enim conveniendi et colloquendi adhuc nimis rarae sunt et non semper aliquis interest, qui recte loquendi sit fidus arbiter.

Hac in re emissiones radiophonicae maxime prosint. Quae cum adhuc deficiant, aliud invenire debemus, quo Vivæ Latinitatis cultores facilius et saepius sermonem Latinum recte prolatum auscultare possint.

Cum die 9° et 10° m. Martii sodales ex Belgio, Francogallia, Germania et Magno Ducatu Luxemburgensi Luxemburgum convenienter ad sessionem Latinam habendam, moderante P.Caeleste Eichenseer, proposuimus pro undis substituere phonocasetas, quas diversimode instituere possimus: e.g. certo tempore phonocasetam variis nuntiis praeditam ad circulos Latinos et solitarios sodales mittere vel phonocaseta uti ad interrogandum et recipiendum quod responditur. Etiam in phonocasetis recipere possimus textus antiquos, praesertim quos magistri in scholis adhibere solent, recte eleganterque dictos.

Quod propositum sodalibus Luxemburgo congregatis placuit. De optima ratione huius rei efficiendi, cum nonnullis ludorum Latinorum participibus disputabimus.

Lectores, quae sumus, nos certiores faciant quid de hoc proposito censeant, quid ex phonocasetis audire cupiant.

Gaius Licoppe Bruxellensis

## QUAE A MELISSA PETI POSSUNT

### VENEUNT APUD "MELISSAM"

- FOLIA LATINA, quibus index "MELISSA", secundo quoque mense edita;

Pro annua subnotatione solvendi sunt :

- in Belgio, 200 franci Belgici

- extra Belgium, 400 franci Belgici

- OPUS CINEMATOGRAPHICUM, e comoedia Plautina cui index "RUDENS", in videocasetis, generis "V.H.S." vel "Betamax" vel "Video 2000" eisque systematis PAL Cuiuscumque generis videocaseta cum textus libello venumdatur 4900 francis Belgicis.

Cum iam videocasetae expetitiae sunt etiam ex longinquis regionibus, velut America et Nova Caledonia, monere debemus haec :

- videocasetae systematis Francogallici SECAM etiam peti possunt, sed earum pretium maius est, id est 6000 franci Belgici  
 - videocasetae generis Americani N.I.S.C. etiam peti possunt, sed earum pretium est 11 000 franci Belgici  
 - Ad videocasetarum pretium accedunt expensae cursuales.

Etiam exstat phonocaseta cum libello, cuius pretium est 550 franci Belgici.

Quae res peti possunt a sede MELISSAE,  
 Av. de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 Bruxellis - BELGIUM  
 Pecuniae mittantur ad sedem nummariam, quae est haec:  
 Argentaria Bruxellensis : B.B.L.  
 Computus: LICOPPE - MELISSA 310-4209741-27